

- mituntur, non convenit inter Doctores: consule Stryk. *disp. juridic. tom. 5. disp. 3. cap. 2. num. 24. & plur. sequent.* qui & de eo disputat, an legato libera præstet impedimentum legitimum.
- 40 IV. Militia legitimum impedimentum præstat; et, quod singulare est, etiam milites urbanici legitimum impedimentum allegare valent: Brunemam. *ad l. 53. ff. ex quib. caus. major. Stryk. juridic. dissert. volum. 5. disp. 3. cap. 2. num. 32.*
- 42 V. Præstat legitimum impedimentum peregrinatio, sed non omnis. Tributum id est peregrinationis studiorum causa, tum causa mercaturæ: Stryk. *disp. jurid. tom. 5. disp. 3. cap. 2. num. 38. & plur. seq.*
- 43 VI. Locus non tutus præstat impedimentum legitimum: Stryk. *juridic. dissert. volum. 5. disp. 3. cap. 2. n. 46. qui & exemplis rem illustrat: Coler. de proces. exec. part. 1. cap. 12. num. 21.*
- 44 VII. Præstat legitimum impedimentum litis pendentia: Zanger. *de except. 2. art. 2. cap. 13. n. 3. Minden. de proc. l. 3. §. 5. n. 11.*
- 45 Et ut alias causas legitimi impedimenti omitamus, de quibus consulti potest Stryk. *jurid. dissert. volum. 5. cap. 2. d. num. 50. ad fin. præstat & illud factum adversarii, vel etiam alterius cujuscumque.*
- 46 De ratione probandi legitimum impedimentum ad eundem: Stryk. *juridic. dissert. vol. 5. cap. 3. per tot.*
- 47 Nota vero, quoad factum adversarii vel alterius cujuscumque, satis haud esse illud probare, sed probare simul oportet, omnes adhibitas esse diligentias pro ejus remotione, casque nihil profuisse: Decius *cons. 677. n. 4. Minden. de proc. lib. 2. cap. 19. num. 2.*
- 48 Probato legitimum impedimento, causa restituitur in pristinum statum, in quo erat ante impedimentum, & de novo secundum juris ordinem proceditur. De specialibus vero effectibus legitimi impedimenti pro varietate præsertim causarum ipsius, confer Stryk. *juridic. dissert. vol. 5. cap. 4. per tot. &*  
(*Videantur leges 11. tit. 7. 35. tit. 16. 10. 11. 12. & 24. tit. 29. p. 3. Ad rem tit. 29. p. 2. ubi de captivis (lit. B. pag. 289. col. 2.) tractatur: l. 6. tit. 10. p. 6. Quæ verb. Ignorantia sint adjuncta cum lit. D. pag. 54. & 86. ex num. 2. conducat; si omnia attente scrutentur, ab hic insertis fere non discrepant.*)

IMPEDIMENTA MATRIMONII.

ARTICULUS I.

Quoad ea, quæ concernunt impedimenta mere impediencia, & septem prima dirimentia.

SUMMARIUM.

- 1 Quor. & quæ matrimonii impedimenta: quot impediencia, & dirimentia, ad num. 26.
- 27 Cognatio tripliciter consideratur: inter stipitem, & lineam que discretio, & qualis ista, ejusque computatio cum discrimine inter jus canonicum, & civile, ad num. 47.
- 48 Quid sit cognatio spiritualis, & cujus generis: per quos contrahatur, ad num. 60.
- 61 Cognatio legalis quid, & quotuplex: quo tempore duret, seu expiret, ad num. 66.
- 67 Legalis affinitatis definitio: quando dirimitur: inter quos oritur, & quales ejus effectus, ad num. 78.
- 79 Crimen dirimens matrimonium quadrupliciter estimatur: que sint, & ut in adulterio causetur impedimentum, conditiones numerantur, ad num. 90.
- 91 Inter quos dirimat matrimonium disparitas cultus: à quo jure hoc impedimentum introductum, & inter quos prohibetur, ad num. 97.
- 98 Vis quantum ad præsens quid sit: quotuplex: & que conditiones ad gravem metum requiruntur: quando iste dirimat matrimonium, ad num. 108.
- 109 Alia remissive.

110 Addit. ex aliena manu notantur, ad num. 119.

**I**MPEDIMENTA matrimonii sunt duplicis generis, alia mere impediencia, & alia dirimentia. *Impediencia mere impediencia* sunt illa, quæ mere impediunt matrimonium contrahendum, sed non irritant jam contractum; unde quamvis matrimonium cum aliquo ex his impediementis nequeat licite, & absque peccato contrahi, potest tamen valide. *Impediencia dirimentia* sunt illa, quæ non solum impediunt, ne matrimonium contrahatur licite, sed etiam valide; unde matrimonium contractum cum aliquo ex his impediementis est omnino nullum, ac irritum. Datur in ecclesia Dei potestas constituendi impedimenta, sive impediencia, sive etiam dirimentia matrimonii; communis inter Catholicos, atque definitum contra modernos hereticos in Concil. Trident. *sess. 24. cap. 4. ibi: "Si quis dixerit, ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in his constituendis errasse, anath. sit."* Et *Can. 5. ibi: "Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis, & affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum: nec posse ecclesiam in nonnullis eorum dispensare, aut constituere, ut plures impediunt, & dirimant, anathema sit."* & colligitur ex *cap. Tuam 3. de ordine cognationum, cap. Ex literis 1. de consanguinit. & affinit. cap. Multorum 10. caus. 35. q. 6.*

3. Impediencia mere impediencia, spectato jure antiquo, sex fuerunt sequentibus versiculis comm. comprehensa.

*Ecclesie vetitum, necnon tempus feriatum, Susceptus propriæ prolis, mors presbyteralis, Vel si paniteat solemniter, aut moniale Accipiat, prohibent hæc conjugium sociandum.*

*Ecclesie vetitum, necnon tempus feriatum, quæ sit à 4*

Papa, ab Episcopo, vel Parocho ex justa causa ad certum tempus, v. g. ad evitandum scandalum, & tumultum, aut cognoscendum impedimentum aliquod, de quo dubitatur inter copulandos: *argum. cap. 1. 2. & 3. de matrimonio contracto contra interdium ecclesie, & cap. final. de clandestin. desponsat.*

*Tempus feriatum*, quo prohibetur, non matrimonium, sed matrimonii solemnitas, scilicet beneficium nuptiarum solemnium, sponse in domum sponsi traductio, solemniora convivia, & tripudia &c. Tale tempus olim varium, & longius erat, ut patet ex *cap. 8. 10. & 11. caus. 33. quest. 4. & cap. Capellanus 14. de feris.* Ast in præsentiarum est restrictum à Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 10. de reformat. matrimonii*, ab Adventu usque ad Octavam Paschæ inclusive, ibi: "Ab adventu Domini nostri Jesu Christi usque ad diem Epiphaniæ, & à feria quarta Cinerum usque ad Octavam Paschæ inclusive antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari Sancta Synodus præcipit, in aliis vero temporibus solemniter celebrari permittit."

*Catechismus*, per quem intelligitur cognatio spiritualis imperfecta, que olim contrahatur ab eo, qui respondebat pro infante, quando supplebantur cærenoniæ post baptismum collatum privatum in necessitate, quamvis talis respondens infantem jam antea privatum baptizatum de sacro fonte non levavit, *argum. cap. Contract. 5. de cognatione spirituali, & cap. Per catechismum, cod. in 6. Ast hodie non amplius viget hoc impedimentum cum videatur sublatum à Tridentino *sess. 24. de reformat. matrim. cap. 2. per illa verba: "Omnia inter alias personas hujus spiritualis cognationis impediementis omnino sublati, prout contra paucos alios addunt Pontius lib. 6. cap. 11. num. 3. Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 10. num. 10. Reiffenstul lib. 4. decret. tit. 11. n. 3. ipsique textibus declaravit Sacra Congregatio, & motus proprius S. Pii V. confirmatque ipsa praxis, & universalis ecclesie consuetudo, quæ, ex cap. Cum dilectus filius 8. de consuetudine, optima est legum interpret. (Vid. lit. B. pag. 429. num. 25. in fine. Lit. D. pag. 29. num. 8. & pag. 79. post num. 105.)**

IMPEDIMENTA MATRIMONII.

Et sic tenent Ledesma, Reginald. Rebells, Gutierrez, Bonacina, Molfensius, cum Barbosa sibi contradicant, & tenent contrarium in *Summa Apostolicar. decret. verb. Cognatio spiritualis n. 7. affrens decretum Sacri. Congreg. Concilii de anno 1592. 22. Decemb.*

7 *Crimen*, per quod intelligebantur varia enormia delicta, quorum aliquod si quis committat, nubere alteri licite amplius non poterat, *art. cap. Qui Presbyterum 2. de penitentis, & remissionib. cap. Si quis 1. & cap. Veniens 2. de eo, qui cognovit consanguineam, & cap. Statutum 33. caus. 17. quest. 2. cap. Admonere 8. caus. 33. quest. 2. cum similibus; & gloss. in cit. cap. Qui Presbyterum, verb. Absque spe conjugii, ubi ipsa crimina comprehendit his versiculis:*

*Incertus, raptus sponsata, mors mulieris, Susceptus propriæ prolis, mors presbyteralis, Vel si paniteat solemniter, aut moniale Accipiat, prohibent hæc conjugium sociandum.*

8 *Sponsalia*, quæ sunt mutua promissio futurarum nuptiarum: *leg. 1. ff. de sponsalibus, cap. Nostrates 3. caus. 30. quest. 3. quando sunt contracta cum una persona, impediunt matrimonium cum alia, nisi prius sint rite dissoluta; arg. caus. Ex literis 2. cap. Ad audientiam 4. de sponsalibus, & cap. de pactis, & similibus.*

9 *Votum*, per quod in proposito intelligitur votum simplex castitatis, seu votum simplex ingrediendæ Religionis, assumendi Ordinem Sacrum, non ineundi conjugium, quæ vota impediunt matrimonium contrahendum, sed non dirimunt jam contractum, *cap. Consuluit 4. & cap. Rurus 6. Qui Clerici, vel coventus matrimonium contrahere possunt; cap. unic. de voto in 6.*

10 Ex assignatis autem sex impediementis mere impediencia, cum duo jam non amplius vigeant, nempe impedimentum catechismi jam per consuetudinem contrarium abrogatum, & impedimentum criminis jam per legem desuetudinem abrogatum, hinc quatuor tantum hodie vigent impediencia mere impediencia apte in hoc versiculo comprehensa.

*Sacratum tempus, vetitum, sponsalia, votum.*

11 *Impediencia dirimentia*, quamvis jure antiquo fuerint tantum duodecim, impediementis antiquis duo de novo sint adjuncta à Concilio Tridentino, scilicet *absentia Parochi*, & duorum testium, ut habetur *sess. 24. cap. 1. de reformat. matrim. & raptus*, ut habetur *ead. sess. 24. cap. 6. de reformat. matrim.* quæ omnia impediencia comprehenduntur sequentibus versiculis relatis cum à S. Thoma *part. 3. quest. 50. supplement. art. 1. tum à Scoto in 4. dist. 42. & ab aliis passim:*

*Error, conditio, votum, cognatio, crimen. Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas, Si sit affinis, si forte coire nequibus, Si Parochi, aut duplices desit presentia testis, Raptusque sit mulier, nec parti reddita iura, Hæc socianda vetant connubia, facta retrahant.*

12 *Error est quadruplex*, scilicet *persona, fortuna, conditio, & qualitatis*, textu expresso in *cap. Quod autem caus. 29. quest. 1. ibi: Error persone est, quando hic putatur esse Virgilius, & ipse est Plato: Error fortune, quando hic putatur esse dives, qui est pauper, vel e converso: Error conditionis, quando putatur esse liber, qui servus est.*

13 *Error persone dirimit matrimonium*, non solum jure positivo ex *cap. Tua nos 26. de sponsalibus, & cit. cap. Quod autem caus. 29. quest. 1. ibi: Error persone consensus conjugii non admittit*; sed etiam ex jure nature, adeoque nullum est, etiamsi ab infidelibus cum tali errore contrahatur. Et ratio est, quia errantis nullus est consensus: *arg. l. 3. & 9. cod. de jur. & fact. ignoranti. (Vide in add. bisp. verb. Ignorantia.)* Ubi autem non adest consensus, non adest matrimonium: *cap. Sufficiat 2. caus. 27. quest. 2. cap. Cum locum 14. de sponsalibus, cum nuptias non concubitus, sed consensus faciat, l. Nuptias 20. ff. de regul. juris. (Leg. 4. lit. 1. p. 4.)*

FERRAR. BIBLIOTE. TOM. V.

*Error fortune*, aut qualitatis non dirimit matrimonium, nisi certe limitaretur consensus contrahentis: *communis arg. cap. Cum in apostolica 18. de sponsalibus, & cit. cap. Quod autem caus. 29. quest. 1. ibi: Error fortune, & qualitatis non excludit consensum. . . . quæ nabit pauperi putans illum esse divitem, non potest renuntiare priori conditioni, quamvis erraverit. . . . Si milititer qui duxit in uxorem meretricem, vel corruptam, quam putabat esse castam, vel virginem, non potest eam dimittere, & aliam ducere. Dicitur autem fuit notanter nisi certe limitaret consensum contrahentis, quia invalidum est matrimonium, si non intendat contrahere, nisi adsit talis qualitas, eo quod tunc non censetur adesse consensus in personam, nisi sub conditione qualitatis subsistentis, & consequenter ubi non subsistit hæc, non subsistit ille; omnis enim contractus sub conditione honesta de præsentis initus, conditione non subsistente, nullus est; l. Cum ad præsens 37. ff. de rebus credit. & l. Cum in secundo princip. ff. de iniuriis raptu. S. Thomas in 4. dist. 30. in expositione literæ n. 4. & teste Sanchez lib. 7. disp. 18. num. 21. omnes alii.*

*Conditio* quantum ad præsens, seu *error conditionis*, est iudicium, quo liber iudicat personam, cum qua contrahit, esse liberam, cum non sit: conditio enim servilis est status persone, quæ non est sui juris, ut in re communiter sentiunt Doctores. Hinc *error conditionis servilis dirimit, & irritat matrimonium*, quando liber credens contrahere cum libera, contrahit cum serva; & contra, textu expresso in *cap. Ad nostram 4. de conjugio servorum* ibi: *Mandamus si consiterit, quod miles ignoranter contraxerit cum ancilla, ita quod postquam intellexerit conditionem ipsius, nec factio, nec verbo concesserit in eadem. . . . contrahendi cum alia libera ipsi concedat auctoritate apostolica facultatem; & concordat cap. Si quis ingenuus 4. caus. 29. quest. 2. ibi: Si quis ingenuus homo uxorem ancillam alterius accepserit, & existimat, quod ingenuus sit, si ipsa femina postea in servitute fuerit detecta, si voluerit, aliam accipiat; si autem ancillam eam scierat, legitimam eam habeat: similiter & mulier ingenua de seruo alterius facere debet. Intellige tamen conclusionem de servis & ancillis proprie talibus, non autem de servis, & ancillis adscriptitiis, nec de originariis; matrimonia enim contracta cum istis à personis liberis, etiamsi illarum conditionem ignoraverint, sunt valida, ut nemine dissentiente sentiunt omnes Doctores, & docet praxis communis.*

*Matrimonium contractum à persona libera cum servili prius cognita ut tali, est validum, & licitum: communis textu claro in cap. Proposuit 2. & cap. Ad nostram 4. de conjugio servorum, & cap. Si quis liber 2. cap. Si quis ingenuus 4. & cap. Si femina 5. caus. 29. quest. 2. ibi: Si femina ingenua deceperit, servum sciens quod servus esset, habeat eum. Item validum est matrimonium contractum inter duas personas serviles, etiam invit dominis; communis textu expresso in *cap. Dignum est 1. de conjugio servorum*, ibi: *Ita nec inter servos matrimonia debent ullatenus prohiberi; & si contradicentibus dominis & invitis contracta fuerint, nulla ratione sunt propter hoc dissolvenda; concordat cap. Omnibus 1. caus. 29. q. 2. Item validum est matrimonium contractum à persona serva cum alia pariter serva, quam tamen putabat liberam, & cui non nupsisset, si conditionem ejus servilem cognovisset: sic S. Bonaventura in 4. dist. 36. art. 2. quest. 2. in conclus. S. Thomas in 4. dist. 36. art. 1. ad 1. his verbis: "Quia in matrimonio est æqualis obligatio ex utraque parte ad debitum reddendum, non potest aliquis requirere majorem obligationem ex parte alterius, quam ipse possit facere, & propter hoc servus etiamsi contrahit cum ancilla, quam credit liberam, non propter hoc impeditur matrimonium, & sic patet quod servus non impedit matrimonium, nisi quando ignorat est ab alio conjugatus, & si ille sit libertæ conditionis." Et etiam docet Scoto in 4. dist. 36. quest. 1. §. Die ergo. Durand. ibid. quest. 2. Petrus Paludan. ibidem. quest. 1. n. 8. Pontas verb. Impedimentum conditionis car. 2. & alii passim. 21**

Item validum est matrimonium contractum à persona li-



bera cum alia libera, quam ex errore putat servam, quia exinde non deterioratur ejus conditio. *Communis* cum *Scoto in 4. dist. 36. quest. 1. & Sanchez l. 7. disp. 19. num. 23. Hostiens. in cap. ad nostram 4. de conjugio terriorum num. 1. Reiffenstuel lib. 4. decret. tit. 9. num. 10.* Item validum est matrimonium contractum à persona serva cum libera, quam ex errore putat servam, quia melioratur ejus conditio; *Scotus in 4. dist. 36. q. 1. Reiffenstuel l. c. n. 10. & alii communiter.*

23 *Votum*, quod, ut sit impedimentum dirimens, debet esse solenne castitatis, est illud, quod fit in professione religionis approbate, vel in susceptione ordinis sacri: *arg. cap. unic. de voto in 6. ibi: "Præsens declarandum videlicet oraculo sanctionis, illud solum votum debet dici solenne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem S. Ordinis, aut per professionem expressam, vel tacitam factam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatam."* Omne, & solum votum solenne per susceptionem Sac. Ordinis, vel per professionem religiosam emissum dirimit matrimonium contrahendum; *communis.* Et quidem de voto solenni per susceptionem sac. ord. habetur *cap. De Diacono 1. & cap. Ex literarum tuarum tenore 2. Qui Clerici, vel vocantes, cap. Si quis Clericorum 1. de Clericis conjugat. & concordat cap. Presbyter. 16. dist. 28.* cum similibus. De professione autem religiosa habetur *cap. Meminimus 3. & cap. Insinuante. 7. Qui Clerici, vel vocantes, & de utroque voto expresse definit Concilium Trident. sess. 24. de Sacramento Matrimonii canon. 9. ibi: Si quis dixerit, Clericus Sac. Ordinis, constituitur, vel Regularis castitatem solemniter professus posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto... Anathema sit.*


25 Adest tamen hæc differentia inter votum solenne ordinis sacri, & votum solenne professionis religiosæ, quod votum solenne ordinis sacri est solum impedimentum dirimens respectu matrimonii postea contrahendi: atque non dirimit matrimonium prius jam contractum, quamvis nondum fuerit consummatum: *communis*, textu expresso, & definitio à Joanne XXII: in extravag. *antiqua, de voto*, ibi: "Quo licet votum solemnizatum per sacri susceptionem ordinis, quantum ad impedendum matrimonium contrahendum, ac ad dirimendum, si post contractum fuerit, secundum statutum canonum sit efficax repudiandum, ad absolvendum tamen prius contractum, etiamsi per carnis copulam non fuerit consummatum, cum nec jure divino, nec per sac. Canones reperitur hoc statutum, invalidum post censendum." Votum autem solenne professionis religiosæ non solum est impedimentum dirimens respectu matrimonii postea contrahendi, sed etiam dirimit jam contractum ratum, dummodo nondum fuerit consummatum. *Communis*, textu expresso in *cap. Verum 2. & c. Ex parte 14. de conser. conjug. & est expresse definitum à Conc. Trident. sess. 24. de matrim. canon. 6. ibi: Si quis dixerit matrimonium ratum non consummatum, per solennem religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit.*

27 Cognatio est triplex, *Naturalis, Spiritualis, & Legalis.* Cognatio naturalis seu carnalis, quæ consanguinitas dicitur, est vinculum personarum ab eodem stipite, carnali propagatione descendit, seu quarum una descendit ab altera: quæ ultima verba adduntur, ne excludatur consanguinitas genitorum cum genitis. Stipes est illa persona, à qua alie personæ, de quarum cognitione tractatur, carnali propagatione descendunt. Linea consanguinitatis est ordinata series talium personarum ab eodem stipite descendunt, gradus continens, & numeros distinguens. Hæc linea est duplex, linea recta, & linea transversalis, seu collateralis. Linea recta est earum personarum, quarum una procedit ab altera, quæ si fiat descendendo, g. à patre ad filium, ac nepotes suos, dicitur linea recta descendit: si autem fiat ascendendo, ut à filio ad patrem, à nepote ad avum, proavum, abavum, atavum, tritavum, & sic deinceps usque ad Adam, dicitur linea recta ascendit. Linea

transversalis, seu collateralis est earum personarum, quarum una non procedit ab altera, licet omnes procedant ab eodem stipite, ut fratres, consobrini, & hujusmodi. Linea transversalis, seu collateralis est duplex, æqualis, & inæqualis. Linea transversalis æqualis est habitudo inter personas ab eodem communi stipite æqualiter distantes, ut inter fratres, & sorores, patruales, & consobrinas. Linea transversalis inæqualis est habitudo inter personas inæquales à communi stipite distantes, ut fratres, & filii sororis. Gradus consanguinitatis est ipsa distantia unius personæ ab altera in eadem linea consanguinitatis in ordine ad eundem stipitem. Et dicitur gradus ad similitudinem graduum scalarum, vel locorum proclivium, quia ita graditur de proximo in proximum.

Ut facilius cognoscatur quot gradibus distent inter se consanguinei, tres regulæ communiter assignari solent. Prima pro linea recta. Secunda pro linea transversali æquali. Et tertia pro linea transversali inæquali. Regula pro linea recta est hæc: *Ascendendum, & descendendum tot sunt gradus, quot sunt personæ, de quibus queritur, computatis intermediis, dempto stipite.* Hinc, si vis scire quantum distet abavus ab Antonio stipite, computato utroque, ac intermediis, inveniuntur quinque personæ, deme unam, nempe Antonium stipitem, quatuor remanent gradus, ut clarissime demonstrat parvum sequens

SCHEMA LINEÆ RECTÆ.



Ubi, ut vides, Franciscus est in primo gradu conjunctus cum Antonio, quia dempto ipso stipite, qui est Antonius, una sola remanet persona, nempe Franciscus. Petrus autem est in secundo gradu conjunctus cum Antonio, quia Antonio stipite dempto, remanent due personæ, scilicet Petrus, & Franciscus. Cajus vero est in tertio gradu conjunctus cum Antonio, quia ipso Antonio stipite dempto remanent tres personæ, nempe Franciscus, Petrus, & Cajus. Titius denique est conjunctus cum Antonio in quarto gradu, quia ipso Antonio stipite dempto, remanent quatuor personæ, d est Franciscus, Petrus, Cajus, & Titius.

Regula pro linea transversali æquali est hæc: *Cum gradibus querit duarum personarum, de quibus queritur, distat à proximo communi stipite, à quo ambe descendunt, tot gradibus distat inter se, & ad facilius hanc regulam percipiendam ponitur parvum sequens*

SCHEMA LINEÆ TRANSVERSALIS.



Ubi, ut vides, Franciscus est conjunctus in primo gradu cum Maria, quia uno gradu distat ab Antonio stipite, seu patre. Petrus est conjunctus in secundo gradu cum Lucia, quia duobus gradibus distat ab Antonio stipite. Cajus est conjunctus in tertio gradu cum Petronilla, quia tribus gradibus distat ab Antonio stipite. Titius est conjunctus in quarto gradu cum Agnete, quia quatuor gradibus distat ab Antonio stipite. Lucas denique in nullo gradu est conjunctus cum Clara, quia licet antiquo jure consanguinitas in linea transversali ex-

extenderetur usque ad septimum gradum inclusive; *cap. Nullum 7. cap. De consanguinitate 17. caus. 35. q. 3. ibi: De consanguinitate sua uxorem nullus dicat usque post generationem septimam, cum similibus;* tamen moderno jure in dicta linea transversali non extenditur, nisi ad quartum gradum inclusive, ut expresse statuit Concilium Generale Lateranense *cap. 30. relatum in cap. Non debet 8. de consanguinitate, & affinitate*, ibi: "Prohibito quoque copula conjugalis quartum consanguinitatis, & affinitatis gradum de cetero non excedat, quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest abque gravi dispendio hujusmodi prohibito generaliter observari."

Regula pro linea transversali est hæc: *Quot gradibus remotior ex personis, de quibus queritur, distat à communi stipite, à quo ambe proximæ descendunt, tot gradibus distat inter se.* Unde ut vides, in allato schemate lineæ transversalis, Franciscus in secundo gradu distat à Lucia, quia Lucia, quæ est persona remotior ab Antonio stipite, duobus gradibus distat ab ipso Antonio stipite, quamvis Franciscus ab ipso Antonio distet unico tantum gradu. Si descendendo idem Franciscus in tertio gradu distat à Petronilla, quæ est persona remotior ab Antonio stipite, tribus gradibus distat ab ipso Antonio stipite. Item idem Franciscus in quarto gradu distat ab Agnete, quæ est persona remotior ab Antonio stipite, quatuor gradibus distat ab ipso Antonio.

Norandum tamen hic est, quod licet in linea transversali inæquali ita numeretur in ordine ad matrimonii impedimentum cognoscendum; in ordine tamen ad obtinendam in gradibus consanguinitatis dispensationem, debet in memorialibus explicari, & manifestari, nedum gradus remotior, sed etiam gradus proximior, seu propinquior stipiti, ut declaravit S. Pius V. const. inc. Sanctissimus; & Urbanus VIII. & Innocent. X. ambo in breve incipient. Alias pro parte. Hinc in eodem allato schemate lineæ transversalis, Franciscus dicitur primo gradu in secundo conjunctus cum Lucia. Primo gradu in tertio cum Petronilla. Primo gradu in quarto cum Agnete. Denique primo in quinto cum Clara, & sic in nullo gradu, quia ultra quartum gradum nulla datur amplius cognatio, *ex cit. cap. Non debet 8. de consanguinitate, & affinitate;* & per hoc cum gradus remotior est ultra quartum, nec gradus proximior est exprimens, nec dispensatio est necessaria, quia nulla amplius datur cognatio. Pariformiter Petrus est secundo gradu in tertio conjunctus cum Petronilla, secundo in quarto cum Agnete, secundo in quinto cum Clara, & sic in nullo, cum ex dictis ultra quartum gradum nulla detur amplius cognatio. Similiter Cajus est tertio gradu in quarto conjunctus cum Agnete. Tertio in quinto cum Clara, & sic in nullo, propter rationem supradictam. Item Titius est quarto gradu in quinto conjunctus cum Clara, & sic in nullo propter semper eandem rationem. Lucas denique in nullo gradu est conjunctus cum filia Clara; cum hodie ex dictis ultra quartum jam non detur amplius ulterior gradus. Quæ autem exemplificata, & dicta sunt de viris in ordine ad feminas, intelligentia omnimode sunt de feminis in ordine ad viros. Unde Maria est conjuncta primo gradu in secundo cum Petro, primo in tertio cum Cajo, primo in quarto cum Titio, denique primo gradu in quinto cum Luca, & sic in nullo, cum ultra quartum gradum nulla amplius detur cognatio. Similiter Lucia est secundo gradu in tertio conjuncta cum Cajo, secundo in quarto cum Titio, secundo in quinto cum Luca, & sic in nullo, & pariformiter discurrendum de ceteris.

Notandum est insuper, quod traditæ regulæ pro computatione graduum in linea transversali, tam æquali quam inæquali, valent solum in jure canonico, non autem in jure civili. Quamvis enim in linea recta ascendendum, & descendendum, eodem modo computentur gradus consanguinitatis secundum jus civile, & secundum jus canonico, ita ut pro utroque jure valeat regula tradita supra sub num. 34. ut clare habetur *ex cap. Ad sedem 2. caus. 35. quest. 5. & §. 1. ac seq. institutio. de grad. cognat.* In linea tamen transversa-

li, seu collateralis, tam æquali, quam inæquali aliter computantur gradus secundum jus civile in ordine ad capiendam ab intestato hereditatem, & aliter secundum jus canonico in ordine ad contrahenda matrimonium: *communis*, textu claro in *cit. c. Ad sedem 2. caus. 35. quest. 5.* Secundum enim jus canonico observantur pro computatione graduum regulæ traditæ supra sub num. 35. & 36. Secundum autem jus civile pro tali computatione, tam in linea æquali, quam inæquali observatur alia, & quidem unica sequens regula: "Tot sunt gradus, quot sunt ex utraque parte, vel linea, personæ, una dempta, communi nempe stipite, & consequenter: Tot gradibus duæ personæ in linea transversali distat inter se, quot ex utraque parte numerantur personæ usque ad communem stipitem, in quo ambæ conveniunt, una dempta, ipso nempe stipite communi." Unde, ut vides, secundum jus civile in computatione duplicantur gradus, ita ut inter duos fratres sint duo gradus; inter duos patruales quatuor gradus inter se, quia sunt tres personæ, duo fratres nempe, & pater in quo tamquam in communi stipite conveniunt, & consequenter una persona dempta, scilicet stipite, sunt duo gradus, quia remanent duæ personæ: secundum enim jus civile in linea transversali non datur gradus unicus, seu primus. Sic duo patruales distant quatuor gradibus inter se, quia ex utraque parte, seu linea usque ad communem stipitem sunt quinque personæ, ipsi nempe duo patruales, duo ipsorum patres, & avus, una autem persona, avo nempe tamquam stipite dempta, sunt quatuor gradus, quia remanent quatuor personæ, & sic de aliis, *arg. tot. tit. Institut. de gradibus cognat. & cit. cap. Ad sedem 2. caus. 35. quest. 5.* ubi habetur præcisè hæc verba: *Frater itaque, qui secundum leges seculares dicitur in secundo gradu, juxta canones numerantur in primo. Filii fratrum, qui illic numerantur in quarto, hic computantur in secundo, & sic deinceps.* Et ratio disparitatis est, quia jus canonico computat gradus ob matrimonium, in quo requiruntur duæ personæ ad constituendum gradum; jus vero civile ob successionem, in qua sufficit una persona proxima in gradu, *cit. cap. Ad sedem 2. caus. 35. q. 5.*

Advertendum tamen hic est, quod ordo computationis graduum statutus à jure civili pro successione hereditaria ab intestato capiendam, servandus est etiam in foro ecclesiastico, & canonico, cum quoad hoc jus civile sit approbatum, & canonizatum à jure canonico, *argum. citat. cap. Ad sedem 2. caus. 35. quest. 5.* Et e contra ordo computationis graduum statutus à jure canonico pro contrahendis matrimoniis servandus est etiam in foro seculari, seu civili, prout fatentur ipsi met civiles juristæ, *arg. cit. cap. Ad sedem 2. caus. 35. quest. 5.*

Cognatio naturalis, vel carnalis, quæ dicitur consanguinitatis, id est quasi sanguinis unitas, non dirimit matrimonium jure ecclesiastico, nisi infra quartum gradum tam in linea recta, quam in transversali, sive æquali, sive inæquali, ut colligitur *ex c. Non debet 8. de consanguinitate, & affinitate*, ubi indistincte restringitur ad quartum gradum impedimentum consanguinitatis, quod juxta jus antiquum in *cap. Nullum 7. in cap. de consanguinitate 17. caus. 35. quest. 3.* & aliis similibus, extendebatur usque ad septimum gradum inclusive. Nec quid diversum ex post statutum reperitur in sacris canonibus, neque pro linea recta, pro qua stat præcipua lis inter Doctores: sic tenent Sanchez *lib. 7. disput. 51. num. 12. Fagnan. in cap. Vir 9. de consanguinitate num. 31.* ubi dicit certum esse, matrimonium inter ascendentes, & descendentes irritari in infinitum jure ecclesiastico; Henno *tom. 2. disp. ultim. de matrimonio quest. 3. concl. 1. Sporet tom. 3. part. 4. cap. 1. sect. 4. num. 67. Felix Potestas tom. 1. part. 4. num. 4042. Leander, Tamburinus, Pontius, & alii plures contra Abbatem, & Silvest. Engel, & Reiffenstuel lib. 4. decret. tit. 14. n. 5.* & alios volentes impedimentum consanguinitatis in linea recta dirimere matrimonium jure ecclesiastico in infinitum.

Impedimentum consanguinitatis dirimit matrimonium quoad primum gradum in linea recta, non solum jure hu-



humano, sed etiam divino, & naturali. *Communis*. Et ratio est, quia ipse instinctus naturalis matrimonium inter parentes, & liberos abhorret propter pudorem: unde merito in leg. Adoptivus 14. §. 2. ff. de ritu nuptiar. sic dicitur: *In contrahendis matrimoniis naturale jus, & pudor inspicendos est; contra pudorem est autem filiam in uxorem suam ducere.* Immo probabilissimum est dictum impedimentum consanguinitatis in linea recta dirimere matrimonia jure nature, non solum quoad primum gradum, sed etiam quoad reliquos in infinitum, adeo ut si Adam hodie viveret, nullam posset uxorem ducere ex universo mundo, cum omnes fœmina per lineam rectam ab ipso descendant, & ita Eva nullum posset ducere maritum, cum omnes homines per lineam rectam ab ipsa descendant: Ita Scotus in 4. dist. 40. ff. De secundo. Fagnanus in c. Vir qui 9. de consanguinit. & affinit. n. 25. Rosignolus contra. 15. de matrim. 11. pœnot. 10. sect. 2. num. 3. citans Glossam; & alios plures. Sporer tom. 3. part. 4. cap. 1. sect. 1. num. 68. Henric. disp. 6. de matrimonio quest. 8. num. 50. Henno loc. cit. conclus. 2. Reiffenstuel loc. cit. num. 27. Pirhing lib. 4. decret. tit. 14. num. 9. Coninch. disput. 33. de sacrament. num. 16. Layman lib. 5. tract. 10. part. 4. num. 2. Busemb. l. 6. part. 3. cap. 3. dub. 2. num. 4. S. Antonin. Paludan. Durand. Abbas. Bellarm. Vasquez. Hurtadus. Meracius. Mastrius, & alii, arg. leg. ult. ff. de ritu nup. ubi deciditur, jure gentium (per quod intelligitur à Jurisconsultis jus nature) incestuosas esse nuptias in gradu ascendente, vel descendente, ibi: *Jure gentium incestum committit, qui in gradu ascendente uxorem duxerit.* Et l. Nuptia 53. ff. eod. ibi: *Nuptia consistere non possunt inter eas personas, quæ in numero parentum, liberorumque sunt, sive proximi, sive ulterioris gradus usque in infinitum.* Et ratio est, quia in omnibus lineæ rectæ ascendente, quatenus remotis reperitur ratio principii, & principati, & ascendentes veniunt omnes nomine parentum, & descendentes omnes nomine liberorum; arg. cit. leg. Nuptia 55. de ritu nuptiar. Inter parentes autem, & liberos matrimonium est irritum jure nature, adeoque &c. Tunc quia, ut observat Reiffenstuel loc. cit. num. 27. Henno loc. cit. conclus. 2. & alii, nullibi legitur Summos Pontifices in tali gradu dispensasse, quæcumque occurrerit ratio, aut necessitas.

45 Contraria tamen sententia docens dictum impedimentum in lineâ recta dirimere matrimonia de jure nature solum quoad primum gradum, & non quoad alios, est vere probabilis, eamque docent S. Thomas in 4. dist. 40. quest. 1. art. 3. & ibi S. Bonaventura, & Ricardus quest. 2. Rofensis in tract. de matrimonio Regis Angliæ fol. 3. Alexander de Ales in secunda part. quest. 169. Augustin. Triumph. in summa de potestate ecclæs. q. 53. art. 5. & 6. Fagnan. in cap. Vir, qui 6. de consanguinit. & affinit. num. 35. Sanchez l. 7. disput. 51. num. 19. Cajetan. Victoria, Ledesma, Pontius, Covarrub. Scotus, Valentia, Fagundes, Perez, Bonacina, Aversa, Felix Potestas tom. 1. part. 5. num. 4042. Pignatell. l. 7. cont. 12. num. 45. & alii apud La Croix l. 6. part. 3. num. 608. ubi ultra rationem adductam pro hac sententia solvit etiam rationem opinionis contrariæ.

46 Impedimentum cognationis naturalis, seu consanguinitatis in linea transversali dirimit matrimonium jure nature, ac divino quoad primum gradum, nempe inter fratres, & sorores, excepto casu absolute necessitate propagandi genus humanum, ut fuit ab initio mundi inter filios, & filias Adæ, & Evæ; Scotus in 4. dist. 40. quest. univ. ubi solvit rationes oppositæ sententiæ; Gutierrez de matrimonio cap. 98. numer. 20. Rosignolus loc. cit. sect. 3. num. 2. & 5. Sanchez lib. 7. disp. 52. num. 11. Reiffenstuel loc. cit. num. 28. Layman lib. 5. tract. 10. part. 4. Sporez loc. cit. num. 70. Sotus, Vasquez, Bellarm. Valentia, Ledesma, Bonacina, Henriquez, Perez, & alii plures contra D. Thomam 2. 2. quest. 154. art. 9. Cajetanum, Pontium, & alios citatos à Sanchez lib. 7. disp. 52. num. 10. & à Felice Potest. tom. 1. part. 4. num. 4042. Colligitur autem nostra sententia ex cap. Gaudemus 8. de divoritiis, ubi

Pontifex decernit, quod infideles conversi ad fidem separari non debeant, si in secundo, & ulteriori gradu consanguinitatis existentes antea matrimonio juncti fuerint, quia legibus ecclesiæ infideles non arctantur; ergo à sensu contrario, si in primo gradu uniti essent, debent separari, eo quod talis gradus jure nature dirimat, aliter Pontifex incongrue expressisset secundum, & tertium gradum, si etiam primus de jure nature non esset interdictus. Sic Concilium Tridentinum sess. 24. de reformat. matrimonii. c. 5. decrevit, in secundo consanguinitatis gradu nunquam esse dispensandum & solum in tali gradu posse dispensari inter magnos Principes, & ob publicam causam, ibi: *In secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam; ergo à sensu contrario in primo gradu non; adeoque videtur primus gradus esse de jure nature, aliter incongrue Concilium expressisset secundum gradum, si primus non esset de jure nature, & divino.*

Et ratio conclusio est, quia ipsa natura suadente inter fratrem, & sororem est naturalis quidam pudor, & reverentia, cui valde adversatur actus conjugal, utpote qui turpitudinem quamdam præsefert: hinc & ipsæmet nationes infideles solo lumine naturali ductæ abhorruerunt ab hujusmodi conjugio, ut colligitur ex Aristotele 2. Politicorum cap. 2. qui turpissimum censet conjunctionem fratrum cum sororibus. Hinc, ut observat Reiffenstuel loc. cit. num. 29. Rosignol. loc. cit. num. 5. Henno loc. cit. conclus. 3. & alii plures, Summi Pontifices nunquam in tali gradu dispensarunt ob quæcumque necessitatem occurrentem, quamvis Silvester verb. Papa quest. 17. referat ex Archidiacono Martini V. semel dispensasse in tali gradu, ut evitaret gravia scandala alias eventura.

Impedimentum cognationis naturalis, seu consanguinitatis in linea transversali non dirimit matrimonium quoad secundum, & ulteriores gradus jure naturali, & divino, sed solum jure ecclesiastico: *communis arg. cap. Gaudemus 8. de divoritiis*, ubi matrimonium infidelium inter consanguineos in secundo gradu agnoscitur validum, adeoque non est contra jus nature; & Concil. Trident. sess. 24. de reformat. matrimonii cap. 5. ubi expresse decernitur posse in secundo gradu dispensari, adeoque secundus, & à fortiori ulteriores non dirimunt jure nature, aliter Papa in ipsis non posset dispensare. Et quod dirimat jure ecclesiastico, habetur expresse in c. Non debet 8. de consanguinitate, & affinitate, ubi statuitur dirimere hodie solum usque ad quartum gradum, & restringitur jus antiquum, quo tale impedimentum dirimebat usque ad septimum gradum inclusive, ut patet ex cap. Nullum 7. c. cap. De consanguinitate 17. caus. 36. quest. 3. cap. Ad sedem 2. caus. 35. quest. 5. & similibus.

Cognatio spiritualis est propinquitas inter aliquas personas proveniens ex dispensatione Sacramentali solum baptismatis, & confirmationis: Scotus in 4. dist. 42. quest. 1. num. 2. & est in re communis, arg. tot. tit. de cognitione spirituali, & caus. 30. quest. 1. & 3. & Concil. Trident. sess. 24. de reformat. matrimonii cap. 2. Dicitur notanter solius Baptismatis, & Confirmationis, quia per dispensationem Baptismi, & Confirmationis fit spiritualis quædam generatio; Baptismus enim dat primam vitam spirituale, quæ deinceps per Confirmationem perficitur, & roboratur, ut cum S. Thoma advertit S. Bonaventura in 4. dist. 42. art. 1. quest. 3. & notatur in c. Ita diligere 1. c. cap. Placitum 2. caus. 3. quest. 1. Unde merito per solum dispensationem Baptismi, & confirmationis, & non per dispensationem aliorum Sacramentorum contrahitur cognatio spiritualis, ut expresse habetur in cap. Quamvis 3. de cognitione spirituali in 6. ibi: *Ex datione vero aliorum Sacramentorum cognatio spiritualis nequaquam oritur, quæ matrimonium impedit, vel dissolvat.* Impedimentum cognationis spiritualis introductum est solum jure ecclesiastico: *communis, arg. tot. tit. de cognitione spirituali, & caus. 30. quest. 1. & 3.* Et juste convenienterque ecclesia hoc statuit impedimentum, quia sicuti ex generatione naturali oritur cognatio naturalis matrimonium dirimens, ita voluit

ecclesia, ut etiam ex generatione spirituali cognatio spiritualis oriretur, pariter matrimonium dirimens, idque ex decencia, ac reverentia, quam spiritualiter nati debent suis spiritualibus genitoribus, sicuti carnaliter, & naturaliter debent suis carnalibus, & naturalibus genitoribus arg. cap. Ita diligere 1. cap. Placit. 2. caus. 30. q. 3.

51 Cognatio spiritualis antiquo jure erat triplex, scilicet paternitas, & compaternitas, & confraternitas. Paternitas spiritualis est propinquitas, seu cognatio spiritualis inter baptizantem, seu confirmantem, eorumque uxores, & baptizatum, vel confirmatum; item inter baptizati, aut confirmati patrimum, ejusque uxorem, & ipsum baptizatum, seu confirmatum; arg. cap. Pervenit 1. cap. Si quis 1. c. cap. De eo 5. caus. 30. quest. 1. cap. Ita diligere 1. caus. 30. quest. 1. cap. Nedom inter 1. de cognitione spirituali in 6. cum similibus.

52 Compaternitas est cognatio inter baptizati, & confirmati naturales parentes ex una, inter baptizantem, & confirmantem, atque patrinos, eorumque uxores ex altera parte; cap. Si quis 3. caus. 30. quest. 4. & cap. Nedom inter 1. de cognitione spirituali in 6. cum similibus. Confraternitas spiritualis est cognatio inter baptizatum, seu confirmatum ex una, & filios naturales baptizantis, seu confirmantis, atque patrimum ex altera; cap. Placitum 2. c. cap. Non oportet 3. caus. 30. quest. 3. cap. Utrum 1. cap. Super eo 3. c. cap. Tua nos 7. de cognitione spirituali cum similibus.

53 Jure autem novo Conc. Trident. sess. 24. de reformat. matrimonii. cap. 2. ad tollenda multa inconvenientia, & scandala, & præcavenda multa peccata, fuit omnino sublata dicta confraternitas spiritualis, & certo modo restricta paternitas, & compaternitas; ita ut hodie non amplius cognatio spiritualis oriatur inter virum, & uxorem simul levantes infantem ex baptismo, ut olim ex cap. Quod autem 5. caus. 30. quest. 4. Neque inter baptizatum, vel ipsius patrem ex una, & baptizantis, vel levantis uxorem ex alia parte, ut olim ex c. Martinus 4. de cognitione spirituali. Neque inter baptizatum, & confirmatum ex una, & filiam baptizantis, confirmantis, levantis, seu tenentis ex altera, ut olim ex cap. Ex literis 8. de cognitione spirituali. Neque inter filium comparis, & filiam commatris, & è contra, ut olim ex cap. Tua nos 7. de cognitione spirituali. Neque inter filiam spirituale baptizantem, & filium carnalem baptizantis, ut olim ex cap. Placitum 2. caus. 30. quest. 3. Neque inter filium spirituale levatum de sacro fonte, & inter filiam carnalem levantis, seu tenentis, ut olim ex cap. Non oportet 3. caus. 30. quest. 3. Neque inter virum, & commatrem suæ uxoris defunctæ, & è contra, ut olim ex cap. Scisciatum 1. caus. 30. quest. 4. Neque inter baptizantem, & levantem, levantisque uxorem, & filiam, & hujusmodi.

54 Unde hodie cognatio spiritualis solum contrahitur. I. A Baptizato, vel confirmato cum baptizante, vel confirmante. II. A Baptizato, vel confirmato cum patrino, vel matrina, & hæc duæ cognationes dicuntur paternitas, & filiatio spiritualis, arg. cap. Pervenit 1. cap. Si quis 2. c. cap. Deo 5. caus. 30. quest. 1. cap. Ita diligere 1. caus. 3. quest. 3. cap. Nedom 1. de cognitione spirituali in 6. III. Contrahitur à patrino, vel matrina cum patre, & matre baptizati, vel confirmati. IV. A patre, & matre baptizati, vel confirmati cum ipso baptizante, vel confirmante, & hæc duæ posteriores dicuntur compaternitas, & commatrnitas, arg. cap. Si quis 3. caus. 30. quest. 4. & cap. Nedom 1. de cognitione spirituali in 6. Inter istos igitur solum contrahitur hodie cognatio spiritualis dirimens matrimonium, & non ultra inter alios, ut expresse decrevit Concil. Tridentinum sess. 24. de reformat. matrimonii. c. 1. ibi: *Docet experientia propter multitudinem prohibitionum multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia, in quibus non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur. Volens itaque Sancta Synodus huic incommodo providere, & à cognationis spiritualis impedimento incipiens statuit: ut unus tantum vir, sive mulier juxta sacrorum canonum statuta, vel ad summum unus, & una baptizatum de baptismo*

«suscipiant: inter quos, & baptizatum ipsum, & illius patrem, & matrem, necnon inter baptizantem, & baptizatum, baptizati que patrem, & matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur. . . Quod si alii ultra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spirituale nullo pacto contrahant, constitutionibus in contrarium facientibus non obstantibus. . . Ea quoque cognatio, quæ ex confirmatione contrahitur, confirmantem, & confirmatum, illiusque patrem, & matrem, ac tenentem non egrediatur, omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis.»

Cognatio spiritualis non oritur ex baptismo nulliter collato, sicuti neque ex confirmatione nulliter collata, *communis*. Et ratio est, quia cum ex talibus Sacramentis nulliter collatis nulla sit generatio, & corroboratio vitæ spiritualis, nulla quoque consurgit paternitas, vel compaternitas, aut filiatio spiritualis, quia quod nullum est, nullum producit effectum; cap. Illud 8. de jure patronatus. Et juxta regulam 52. juris in 6. *Non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum.* Cognatio spiritualis contrahitur ab accipiente puerum ab obstetrice, neque est necesse, ut illum accipiat immediate à manu baptizantis: *Sacr. Congr. Concil. in dub. cognitionis spirituali. 18. Decemb. 1680. leg. 38. decret. fol. 618.* Cognatio spiritualis contrahitur etiam in baptismo sine solemnitatibus ubi necessitatem domi sequitur *Sacr. Congr. Concil. in dub. cognat. spirit. 5. Martii 1578. l. 30. decret. fol. 33.* Cognationis spiritualis in primo gradu dispensatio concedi non solet: Sanchez de matrim. l. 8. disp. 24. num. 7. Illam tamen concessam fuisse à Gregorio XIV. testatur Pontius de matrim. l. 8. cap. 17. num. 28. & de Justis de dispensat. matrim. l. 2. cap. 5. num. 74. asserentes infelicem habuisse exitum: sic apud Ursayam in miscelaneo sacro, & profano primo, verb. Cognatio num. 189.

Alia concernentia hanc cognationem spirituale vide verb. Baptismus art. 7. per totum, verb. Cognatio spiritualis, verb. Confirmatio art. 3.

Cognatio legalis sic est dicta, quia prius à legibus inventa; leg. Adoptivus 13. ff. de ritu nuptiar. & §. 1. ac 2. instit. de nupt. ac postea per sacros canones recepta est; cap. Si quis 1. de cognitione legali, & cap. Ita diligere 1. c. cap. Per adoptionem 6. caus. 30. q. 3. Cognatio legalis est propinquitas personarum, quæ ex adoptione provenit, & inter certas personas matrimonium dirimit: *Est in re communis, arg. cit. leg. Adoptivus, & cit. §. 1. & 2. instit. de nupt. & cit. cap. Si quis, & c. Ita diligere 1. c. cap. Per adoptionem 6. caus. 30. q. 3.*

Cognatio legalis est triplex, scilicet paternitas, fraternitas, & affinitas legalis. Paternitas legalis est cognitatio inducens impedimentum in linea recta inter adoptantem tanquam patrem legale, & adoptatum tanquam filium, & adoptati descendentes usque ad quartum gradum; est in re communis, arg. §. 1. instit. de nupt. & leg. Quin etiam 55. ff. de ritu nuptiar. Hæc cognatio semper durat, & dirimit, etiamsi adoptio per emancipationem fuerit soluta, cap. Ita diligere 1. caus. 30. quest. 3. §. 1. instit. de nuptis, leg. Quin etiam 55. ff. de ritu nuptiar. Et ratio est, quia cum hæc cognatio legalis pariat quamdam conjunctionem similem naturali, & inde oriatur reverentia inter cognatos sic constitutos, talis reverentia debita inter ipsos cognatos adhuc perseverat, nec dissolvitur per dissolutionem adoptionis.

Fraternitas legalis est cognitatio in linea transversali impedimentum inducens inter liberos naturales legitimos adoptantis, & adoptatum tanquam fratres, & sorores legales; est in re communis arg. Si quis 1. de cognat. legal. & leg. Qui in adoptionem ff. de adoption. Hæc cognatio non durat semper, sed expirat expirante adoptione; leg. Per adoptionem 17. ff. de ritu nuptiar. ibi: *Per adoptionem quesita fraternitas eousque impedit nuptias, donec manet adoptio; ideoque etiam, quam pater meus adoptavit, & emancipavit, potero uxorem habere, æque ac si me emancipat illam in potestate retinuerit, poterimus jungi matrimonio:» & concordat cit. c. Si qui 1. de cognat. leg. ibi: *Si qua mihi soror per adoptionem esse coeperit, quandiu durat adoptio, inter me,**



me, & ipsam nuptiæ consistere non possunt." Affinitas legalis est cognatio inter adoptantem, & inter uxorem adoptati, & vicissim inter adoptatum, & uxorem adoptati est in re communis, arg. leg. Adoptivus 14. ff. de ritu nuptiarum. Hæc cognatio semper durat, & dirimat etiam soluta adoptione communis, textu expresso in cit. leg. Adoptivus, ibi: "Adoptivus filius, quasi emancipetur, eam, quæ patris adoptivi uxor est, ducere non potest, quia novercæ locum habet." Ratio autem differentie, quæ cognatio legalis in linea recta descendentiæ, & affinitas ducit semper, & dirimat matrimonium etiam soluta per emancipationem adoptione, non autem cognatio transversalis, seu fraternitas legalis, est, quia cognatio in linea recta descendentiæ, & affinitas trahit secum majorem reverentiam inter cognatos debitam, quæ semper perseverat; cognatio autem in linea transversali non trahit secum tantam reverentiam, unde soluta per emancipationem adoptione, cessat ipsa cognatio, & prohibito de contrahendo matrimonio in tali linea; Sanchez l. 7. de matrimonio disp. 63. num. 24. in fine. Rosignol. contr. 1. de matrimonio 11. p. 1. no. 10. sect. 5. num. 15. & alii passim.

66 Cognatio legalis dirimens matrimonium non oritur inter ipsos filios adoptivos, si plures ab eodem adoptantur, unde valide possunt inter se matrimonium contrahere; Glossa communiter recepta in cap. Si qui 1. de cognat. legali verb. Quamdiu de cognatione legali, Divus Antoninus 3. part. tit. 1. cap. 13. Bonacina de matrim. quest. 3. punct. 5. num. 7. Rosignol. loc. citat. num. 16. & alii passim. Nullo enim jure statutum invenitur tale impedimentum; tum quia inter filium & filiam spirituale ejusdem patris spiritalis non versatur impedimentum, ergo multo minus inter duos adoptivos, cum isti minus sint conjuncti, quam illi; arg. cap. Ita diligere 1. caus. 30. quest. 3.

67 Cognatio legalis dirimens matrimonium non oritur inter adoptatum, & filiam illegitimam adoptantis, nec inter filiam illegitimam adoptati, & adoptantem, vel legitimos ejus liberos; communis cum Sanchez l. 6. de matrim. disp. 63. num. 30. Sporer tom. 2. part. 4. cap. 1. sect. 1. num. 85. Piching. l. decret. tit. 127. num. 9. Reiffenstuel ib. num. 7. Et ratio est, quia illegitimi non veniunt nomine naturalium liberorum, neque sunt sub patris potestate; §. Si adversus 12. institut. de nupt. tal potestate non existente, seu cessante, cessat adoptio, & consequenter etiam cognatio legalis, cap. Per adoptionem 6. caus. 30. quest. 3.

68 Cognatio legalis dirimens matrimonium non oritur inter adoptantem, & parentes adoptati, quia nullo jure prohibuitur est inter istos matrimonium contrahi; communis cum S. Thoma in 4. dist. 42. quest. 1. art. 3. ad primum. S. Antonin. 3. part. tit. 1. cap. 13. Tolet. lib. 7. summa cap. 4. in fine. Rosignol. loc. cit. num. 18. Neque cognatio legalis dirimens matrimonium oritur inter filios duorum fratrum adoptivorum; si enim ex dictis supra num. 69. duo adoptivi possunt libere contrahere inter se, à fortiori poterunt ad invicem contrahere eorum filii; communis.

69 Cognatio legalis impediens matrimonium oritur inter filios legitimos, & naturales patris adoptantis, & filios adoptivorum; sic Bonacina q. 3. de matrim. punct. 5. num. 6. Rosignol. loc. cit. num. 19. & alii plures. Et ratio est, quia de hac cognatione nulli fit in jure mentio, & illa tantum debet cognatio agnoscitur, quæ in ipso jure exprimitur, unde non debemus extendere hanc cognationem legalem ultra terminos, ad quos eadem jura extendunt, ut docet Navarr. in manual. cap. 21. num. 45. Nec aliam extensionem per gradus debemus agnoscere præterquam in linea recta; in linea enim transversali, seu collateralis non fit extensio ultra primum gradum; Rosignol. loc. cit. Felix Potest. tom. 1. part. 4. num. 403. & alii.

70 Ut facilius percipiatur, quæ de cognatione legali dicta sunt, & in dies occurrunt, cum ipsa ex adoptione proveniat, hic aliqua breviter de adoptione traduntur. "Adoptio igitur est extraneæ personæ in filium, vel in filiam, nepotem, vel deinceps legitima assumptio; est in re communis." Per ly Personæ extraneæ intelligi-

tur ea, quæ est extra potestatem adoptantis, & à jure, ad quod assumitur, aliena, sive aliquoquin sit ejus consanguinea, sive non. Per ly in filium, vel filiam, nepotem, vel deinceps, denotatur quod non potest quis adoptari in fratrem, vel parentem, quia, cum adoptio ex genere suo sit superioris ad inferiorem, & per illam adoptatus constituitur sub potestate adoptantis, non potest esse in fratrem, vel parentem, quia isti de genere suo non sunt inferiores, sed vel æquales, vel superiores, & hoc habetur expresse in leg. Nec apud eod. de hered. instit. Per ly legitima assumptio denotatur, quod ad hoc, ut adoptio sit valida, debet fieri secundum formam à lege, seu jure præscripta, scilicet ut adoptio fiat inter præsentem, & non per procuratorem; leg. Neque, & leg. Post mortem §. Neque ff. de adoption. Ut adoptans sit masculus; nam femina adoptare non potest, nisi ex speciali concessione Principis; §. Fœminæ 10. institut. de adoption. Ut 18. annis præcedat adoptatum; §. 4. institut. de adoption. Ut natura sit potens ad generandum; unde castrati adoptari non possunt; §. 9. institut. de adoption. Vide verb. Patria potestas num. 26. & 27. ubi notatur differentia inter spadones, & castratos; possunt tamen adoptare Sacerdotes, quia isti non à natura, seu physice, sed per accidens, & moraliter tantum inhabiles sunt ad generandum; Abbas in cit. cap. Si qui 1. de cognatione legali num. 4. Hostiens. ib. num. 4. & alii passim. Ut adoptans sit sui juris, & major 25. annis, quia aliàs nondum habet administrationem suorum bonorum, quæ omnia, & alia habentur tot. tit. ff. & eod. de adoption. & institut. eod. (Verb. Eunuchus.)

Adoptio est duplex, una propria, & perfecta, quæ adrogatio dicitur; & alia impropria, & imperfecta, quæ adoptio simplex, & in specie vocatur; leg. 1. ff. de adoption. Adoptio perfecta, seu adrogatio est illa, per quam adoptatus sui juris existens, Principis rescripto transit in potestatem adoptantis, sicut hæres necessarius ex testamento in quarta bonorum parte, ut filius legitimus, & naturalis, arg. §. 1. institut. de adoption. & leg. 2. eod. Adoptio imperfecta, seu adoptio simplex, & in specie, est illa, per quam adoptatus nondum sui juris existens, auctoritate cujuscuque Judicis competentis ita assumitur in filium, aut nepotem, ut non transeat in potestatem, & familiam adoptantis, sed adhuc maneat sub patris naturalis, aut avi potestate, nec fiat adoptantis hæres necessarius ex testamento, sed solum ei succedere possit ab intestato arg. §. Adoptio institut. de adoption. leg. Generalis ff. de adoption. Unde, ut vides, in multis differunt inter se adoptio perfecta, & imperfecta. Primo, adoptio perfecta, seu adrogatio non potest fieri nisi auctoritate supremi Principis, & adoptio imperfecta, seu simplex, & in specie potest fieri auctoritate cujuslibet Judicis, seu magistratus competentis; leg. Generalis 2. ff. de adoptionibus; §. Adoptio institut. eod. tit. Secundo, adoptio perfecta, seu adrogatio transfert jus in adoptatum, ut non solum succedat ab intestato, sed etiam ex testamento in quarta parte bonorum adoptantis, unde adoptans non potest penitus privare adrogatum per testamentum omnibus suis bonis, sed tenetur eidem servare quartam partem bonorum pro legitima; §. Sed hodie institut. de adoption. Adoptio autem imperfecta transfert solum jus in adoptatum, ut succedat ab intestato, non vero ut sit hæres necessarius ex testamento, unde adoptans potest per testamentum de bonis suis disponere in favorem alterius sine læsione, & injuria adoptati, cit. §. Sed hodie institut. de adoption. Tertio, adoptio perfecta, seu adrogatio petit, ut adrogatus ante sui assumptionem, seu electionem sit sui juris, cum per adrogationem transeat in potestatem adoptantis; adoptio vero imperfecta non requirit, quod adoptatus sit sui juris, cum per adoptionem imperfectam adoptatus non transeat in potestatem adoptantis, adeoque nullum jus hædatur illius, sub cujus potestate est; leg. 2. §. ultim. ff. de adoption. Sunt adhuc aliæ differentie, quæ ut minus principales relinquuntur videndæ apud Legistas in instit. ff. & eod. de adoption.

Probabile est quod cognatio legalis dirimens matrimonium non solum oriatur ex adoptione perfecta, & ad-

adrogatione, sed etiam ex adoptione imperfecta, seu simplici; Glossa in cap. Si qui 1. de adoptione legali, & ibi Abbas n. 5. Ancharanus n. 8. Covarrub. part. 2. de matrim. cap. 6. §. 5. num. 2. Gutierrez de matrim. c. 102. num. 5. Barbosa de officio, & potest. Episcop. allegat. 5. r. num. 189. Reiffenstuel loc. cit. num. 10. ubi testatur de communi. Et ratio est, quia jura omnia indubitanter hanc cognationem ad dirimendum matrimonium loquuntur indistincte de adoptione, nulla facta mentione de imperfecta, vel perfecta, adeoque intelligenda sunt in tota sua latitudine, & sine ulla restrictione; cap. Quia circa 22. de privileg. Non desunt tamen etiam magni nominis Auctores, qui nedum dicunt probabile esse, sed etiam probabilis ex adoptione imperfecta non oriri cognationem legalem dirimentem matrimonium, sed tantum ex perfecta; Ita Innocentius in cap. Si qui 1. de cognatione legali a. 1. Silvester verb. Matrim. 8. quest. 8. & varii alii cum Rosignol. loc. cit. num. 10.

75 Crimen dicitur matrimonium est quadruplex. Primum est solum homicidium. Secundum est homicidium cum adulterio. Tertium est adulterium solum cum promissione matrimonii de futuro. Quartum est adulterium solum cum alio matrimonio contracto. Solum homicidium, scilicet uxoricidium, vel maritricidium est impedimentum dirimens, quando vir, aut mulier etiam sine adulterio, ex mutuo tamen consensu occidit suam, aut alterius consentientis compartem cum animo matrimonii inter se post mortem alterius conjugis contrahendi; communis arg. cap. Laudabilem 1. de conversion. infidelium & cap. Si quis vivente 5. caus. 31. quest. 1.

76 Ut autem tale homicidium sine adulterio causet impedimentum, requiruntur tres conditiones. Prima, ut tam vir, quam mulier contrahere volentes moraliter, vel physice concurrant ad mortem conjugis innocentis; non enim sufficit, si unus tantum, vel una sine scitu, vel consensu alterius ad talem mortem concurrat, arg. cit. cap. Laudabilem 1. de convers. infidelium. Secunda, ut mors ex mutua eorum machinatione revera, & in effectu sequatur, non enim sufficit sola mere machinatio, si mors non sequatur; communis arg. cit. cap. Si quis vivente 5. caus. 31. quest. 1. & cit. cap. Laudabilem 1. de convers. infidelium. Tertia, ut conspiratio illa in mortem conjugis innocentis, ac mortis machinatio fiat, ex vel cum intentione contrahendi invicem matrimonium morte secuta; non enim sufficit, si fiat ex alio fine, seu motivo, v. gr. ex odio, vindicta, & hujusmodi; communis, arg. cit. cap. Laudabilem, & cit. cap. Si quis caus. 31. quest. 1. ibi Occidissis notetur, ut conjungeretur, ut notat ibid. Glossa.

77 Homicidium cum adulterio est impedimentum dirimens, quando solus adulter commisso adulterio occidit suam uxorem, aut sola adultera suum maritum etiam absque conspiratione cum complice, ex intentione tamen perveniendi ad matrimonium cum complice adulterii; communis, arg. cap. Significaverit nobis 2. & cap. Super hoc 3. de eo, qui duxit in matrimonium, & cap. Si quis vivente 5. caus. 31. quest. 1.

78 Ut tale homicidium cum adulterio causet impedimentum, requiruntur etiam tres conditiones. I. Ut unus complicitum adulterii sit vera causa physica, aut moralis cædis conjugis innocentis, sola enim ratiabilitate cædis jam factæ, aut approbatio non sufficit; communis, arg. cit. cap. Si quis vivente 5. caus. 31. quest. 1. cap. Significasti 6. de eo, qui duxit in matrimonium. Nec requiritur, quod altero concurrat, sed sufficit si unus solus eorum, etiam altero inscio, id faciat; arg. cit. cap. Si quis vivente, ibi: Nisi forte vir, aut mulier; & cit. cap. Significasti, ibi: Nisi aliter eorum in mortem fuerit machinatus. II. Ut mors ex tali machinatione realiter, & in effectu sequatur. Non enim sufficit sola machinatio, si revera mors non sequatur; communis arg. cit. cap. Si quis vivente 5. caus. 51. q. 1. & cap. Laudabilem 1. de convers. infidel. III. Ut machinatio in mortem conjugis innocentis fiat ab alterutro eo fine, & animo contrahendi matrimonium cum complice adulterii; non enim sufficit, si fiat ex alio fine, aut motivo, v. gr. ex odio, vindicta, & hujusmodi; arg. citat. cap. Ferrar. Brillior. Tom. V.

Laudabilem 1. de convers. infidel. & cit. cap. Si quis vivente 5. caus. 31. quest. 1. ibi: Occidissis notetur, ut conjungeretur, ut notat ibid. Glossa.

Adulterium solum cum promissione matrimonii de futuro est impedimentum dirimens, quando adulter, & adultera; sive ante, sive post adulterium commissum, promittunt, & fidem dant de matrimonio post mortem conjugis contrahendo, etiamsi ipsi in talem mortem non conspiraverint; communis arg. cap. Relatum est 4. caus. 31. quest. 1. cap. Propositum 1. cap. Ex literarum 4. cap. Significasti 6. & cap. Veniens 7. de eo, qui duxit in matrimonium.

Ut tale adulterium solum cum promissione matrimonii de futuro causet impedimentum, requiruntur quatuor conditiones. I. Ut intercedat seria, & acceptata ab altera parte promissio de futuro matrimonio; non enim sufficit adulterium sine tali acceptata promissione; communis, arg. cap. Significasti 6. cap. Veniens 7. & cap. Si quis 8. de eo, qui duxit in matrimonium. Nec refert, an adulterium præcedat, vel subsequatur talem promissionem, textu expresso in cit. cap. Si quis 8. de eo, qui duxit in matrimonium, ibi: Si prius vel postea... illum adulterio polluisset. II. Ut promissio, & adulterium facta sint vivente eodem conjugate: non enim sufficit, si fiat post mortem ipsius; communis arg. cap. Significasti 6. cap. Veniens 7. & cap. Si quis 8. de eo, qui duxit in matrimonium, ubi semper dicitur: Si vivente uxore. III. Ut uterque adulterans sciat alterum esse conjugatam; non enim sufficit, si neutra, vel altera pars nesciat se committere adulterium; communis arg. cap. Propositum 1. de eo, qui duxit in matrimonium, ibi: Quia tamen mulier erat inscia, quod ille aliam haberet uxorem viventem, & cap. Veniens 7. eodem. IV. Ut adulterium sit perfectum, & consummatum: non enim sufficit copula solum attentata; communis cum Glossa in cap. Si quis 8. de eo, qui duxit in matrimonium, verb. Cognovit: Joan. Andr. ibid. num. 4. Abbas ibid. num. 6. Barbosa ibid. num. 4. Et ratio est, quia non obest conatus, ubi injuria non habuit effectum; arg. cap. Adolescentes 32. de spons.

Adulterium solum cum alio matrimonio contracto est impedimentum dirimens, quando adulter vivente legitima sua uxore cum altera adultera contrahit per verba de presenti; vel adultera vivente legitimo suo marito cum alio adultero per verba de presenti contrahit; tunc enim etiam mortua uxore adulteri, vel marito adultere contrahere nunquam possunt; communis arg. cap. Propositum 1. cap. Cum haberet 5. cap. Veniens 7. cap. Si quis 8. de eo, qui duxit in matrimonium.

Ut tale adulterium solum cum alio matrimonio contracto causet impedimentum dirimens, requiruntur duæ conditiones:

I. Ut matrimonium cum primo conjugate sit validum; non enim sufficit matrimonium ex aliqua ratione invalidum; communis, arg. cap. Significavit 2. de eo, qui duxit in matrimonium.

II. Ut matrimonium cum primo conjugate contractum sit notum secundo conjugate: non enim sufficit primum contractum matrimonium, si secundus conjux ipsum penitus ignoraverit; communis, arg. cap. Propositum 1. & cap. Veniens 7. de eo, qui duxit in matrimonium.

Criminis impedimentum non est inductum Jure naturæ, vel divino, ut patet in Davide, qui post adulterium, & occisionem Uriæ, duxit ejus uxorem Bethsabeeam, sed solum Jure ecclesiastico; communis, arg. cap. Si quis vivente 5. caus. 31. quest. 1. cap. Propositum 1. cap. Significavit 2. cap. Super hoc 3. cap. Cum haberet 5. cap. Significasti 6. cap. Veniens 7. & cap. Si quis 8. de eo, qui duxit in matrimonium.

Hinc, si duo infideles pro tempore infidelitatis commiserint tale crimen, & postea conversi ad fidem inter se contraherent, valide contraherent; quod non posset, si tale impedimentum esset inductum Jure naturæ, cui & ipsi infideles subdantur, licet non subdantur Juri ecclesiastico; communis. Non sic autem, si tale crimen fuisset commissum à duobus, quorum unus esset fidelis, & alter infidelis; tunc enim non posset hic alteri post baptismum jungi matrimonio; communis, arg. c.



Laudabilem r. de convers. infidelium. Et ratio est, quia tunc impedimentum ab ecclesia statutum directe in fidelem, redundat etiam in infidelem, siquidem impedimentum ex parte unius in contractibus correspondens invalidat contrarium etiam respectu alterius, ut patet in impedimento voti solemnitis in professione religiosa, quod quavis in uno tantum reperitur, reddit tamen matrimonium invalidum etiam respectu alterius.

87 Cultus disparitatis, seu diversitas religionis dirimit matrimonium inter fidelem, & infidelem, seu baptizatum, & non baptizatum; communis arg. cap. Cave 15. caus. 28. quasi. 1. & tota fere illa questione. Et ratio est, quia non patet aditus ad alia sacramenta sine baptismo, cum baptismus sit janua sacramentorum. Hoc impedimentum non est inducendum Jure naturæ, aut divino, sed solum Jure ecclesiastico, si non scripto, saltem consuetudinario, consuetudine, & perpetuo usu ecclesiæ approbante; Scotus in 4. dist. 39. quasi. unic. art. 2. & ibi S. Bonav. art. 1. quest. 1. Coninch. de matrim. disp. 21. num. 41. Sanchez l. 7. disp. 71. num. 7. Perez disp. 26. sect. 1. num. 4. Sporer tom. 3. part. 4. cap. 1. sect. 1. num. 115. Reiffenstuel lib. 4. decr. tit. 1. n. 355. & leg. & alii communiter; tempore enim legis naturæ Esau duxit uxores Chanaanæ, Gen. 16. Joseph duxit uxorem Ascenet Ægyptiacam, Gen. 41. Tempore legis scriptæ Moyses accepit Saphoram Æthiopicam Exod. 2. Salomon plurimas uxores idololatrias, 2. Reg. cap. 1. & 2. Esther duxit Assuerum Chaldæum Esther. 2.

89 Si ex duobus conjugibus infidelibus unus convertatur ad fidem, & alter monitus, & rogatus nolit converti, nec cohabitare sine injuria Creatoris, tunc matrimonium, etiamsi fuerit consummatum, dissolvitur quoad vinculum: ita ut conjux fidelis possit aliud matrimonium contrahere cum fidele ante omnem sententiam. Colligitur ex prima ad Corinth. cap. 7. ibi: Quod si infidelis discedat, non enim servituti (id est ligamini conjugali) subjectus est frater, aut soror in hujusmodi, & ex cap. Si infidelis 2. caus. 28. quasi. 2. ubi sic expresse habetur: "Contumelia quippe Creatoris solvitur matrimonium circa eum, qui relinquitur: infidelis autem discedens, & in Deum peccat, & in matrimonium, nec est si fides servanda conjugii &c." & cap. Quarto 7. de divortii, ibi: "Si enim alter infidelium conjugum ad fidem catholicam convertatur, altero, vel nullo modo, vel sine blasphemia divini nominis, vel ut non perturbat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente, qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit, & in hoc casu intelligimus, quod ait Apostolus: si infidelis discedit, discedat, frater enim, vel soror non est servituti subjectus in hujusmodi, & canonem etiam, in quo dicitur, contumelia Creatoris solvitur jus matrimonii circa eum, qui relinquitur." & Glossa ibid. verb. Contumelia, ubi adducit sequentes versus:

Deserere spernentem, vel blasphemare volentem. Vel te credentem seclus ad mortale trahentem; Nam sunt absque mora sic vincula rupta priora.

90 Non potest autem fidelis conversus solvere matrimonium quoad vinculum, quando infidelis vult cohabitare sine injuria Creatoris, licet nolit converti; colligitur ex prima ad Corinth. cap. 7. ibi: Si quis frater uxorem habet infidelem, & hoc consentit habitare cum illo, non dimittat illum, & si qua mulier virum habet infidelem, & hic consentit habitare cum illo, non dimittat illum, & ex cit. cap. Si infidelis 2. caus. 28. tit. 2. & cit. cap. Quarto 7. & cap. Gaudemus 8. de divortii. Et tenent S. Thomas in 4. dist. 39. quasi. unic. art. in corpore, & ibi S. Bonav. art. 4. quasi. 1. S. Anton. 3. part. tit. 2. cap. 6. not. 3. & alii passim.

91 Nec etiam solvitur matrimonium quoad vinculum, si unus conjugum transeat ad infidelitatem, seu labatur in hæresim, textu expresso in cit. cap. Quarto 7. de divortii, ibi: Si vero alter fidelium conjugum, vel labatur in hæresim, vel transeat ad gentilium errorem, non credimus, quod in hoc casu, si, qui relinquitur, vivente altero, possit ad secundas nuptias convolare; & tenent

communis Doctorum cum S. Thom. in 4. dist. 39. art. 1. in corpore, ubi dicit: Si vero infidelis conjugis matrimonium sequatur, non propter hoc vinculum matrimoniale dirimitur, sed potest fieri separatio à toro, & cohabitatione, sicut & propter fornicationem carnalem, & quod non solvatur tale vinculum propter hæresim, definitur Concil. Trid. sess. 24. de matrim. can. 5. ibi: Si quis dixerit, propter hæresim, aut molestiam cohabitationem... à conjugate posse dissolvi matrimonii vinculum, anathema sit.

Immo nedum non dirimuntur matrimonia propter hæresim, sed & valide contrahuntur cum hæreticis, si ritu catholico contrahantur; Sic S. Thomas in 4. dist. 39. q. unica art. 1. ad 5. S. Bonav. in 4. dist. 39. quasi. 1. art. 1. Abbas in cap. Si conditiones 7. de condition. oppositis num. 5. & ibi Cardinalis num. 3. Joan. Andr. num. 8. Sanchez l. 7. disp. 72. num. 2. & communis aliorum, arg. cap. Decretum 14. de hæreticis in 6. Quinimo secundum Sanchez l. cit. num. 5. Azorium l. 8. cap. 11. quasi. 5. & varios alios, matrimonia cum hæreticis nedum sunt valida, sed insuper sunt licita in locis, ubi hæretici, & catholici permixti vivunt. Vid. tamen verb. Hæreticus à num. 20. ad 26. ubi affertur in contrarium novissimum decr. Clementis XI. sub die 16. Junii 1710. relat. à Card. Petra tom. 4. comment. in constit. 12. Joannis XXII. num. 4. Vide ibi, ubi multa sapientissime adducit ad rem.

Vis, seu violentia, quantum ad præsens, est metus gravis, & injuste incussus, inducens virum, seu feminam ad contrahendum matrimonium, quod aliquo modo contraxisset, nisi ad id metu illo, seu violentia fuisset compulsus, seu compulsus; Est in re communis; arg. cap. Abbas 2. cap. Ad audientiam 4. & cap. Cum dilectus 6. de his, que vi, metusve causa fiunt, & leg. Metum autem ff. eod. Vis, & metus est duplex, scilicet gravis, seu cadens in constantem virum, & levis, seu cadens in virum inconstantem. Metus gravis, seu cadens in virum constantem, est ille quem vir constans, & fortis prudenter, & rationabiliter concipit de gravi malo sibi, aut consanguineis, vel affinis inferendo: Est in re communis; arg. cit. leg. Metum autem, & cit. cap. Ad audientiam. Metus levis, seu cadens in virum inconstantem, est ille, quem vir pusillanimes concipit de levi tantum malo, aut gravi quidem, sed immerito, ac irrationabiliter, & imprudenter, cum non certa, prudenti, & rationabili, sed solum levi, & irrationabili sua æstimatione tale grave malum ei imminet, & sit eventurum: Est in re communis arg. citat. leg. Metum autem, & cit. eod. Ad audientiam 4. & cit. cap. Cum dilectus 6. de his, que vi, metusve causa fiunt.

Ad metum gravem quatuor condiciones requiruntur. Primo, quod malum, quod timetur, sit grave in se, & non solum in vana æstimatione metuents. Secundo, quod cum rationabili fundamento, & non leviter, & imprudenter timeatur. Tertio, ut metum incutiens potens sit minas exequi. Quarto, quod is, qui timet, non possit ullo modo minanti resistere, aut vitare malum, quod timet; quod si alterutra harum conditionum deficiat, metus erit levis, seu cadens in virum inconstantem; arg. cap. Dilectus 6. de his, que vi, metusve causa fiunt.

Metus alius est incussus à causa intrinseca, & alius à causa extrinseca libera. Primus est metus intrinsecus ab ipsometu metuente susceptus, vel ex propria passione, vel ex causa naturali, ut est metus mortis imminenti ob morbum, naufragium, bestias; item metus inferni, & hujusmodi. Secundus est metus extrinsecus ipsi metuenti ab alio homine incussus, ut cum quis minatur alteri mortem, mutilationem, carcerationem, spoliationem bonorum, & hujusmodi, nisi suæ voluntari adhareat. Insuper metus alius est juste incussus, & alius injuste. Metus juste incussus est, cum quis minatur alteri gravem poenam, nisi faciat aliquid, ad quod de justitia tenetur, v. gr. nisi ducat, vel dotet puellam, quam violavit. Metus injuste incussus est contra eum, cum quis minatur alteri gravem poenam, nisi faciat aliquid, ad quod de justitia non tenetur, v. gr. nisi ducat puellam, cui nec ratione promissionis, nec ratione violationis tenetur.

99 Matrimonium ex gravi metu injuste incusso contractum est ipso Jure nullum, & invalidum; communis arg. cap. Cum locum 14. de sponsalibus, ubi dicitur quod contractus matrimonium plena debet securitate gaudere, ne per timorem dicat sibi placere quod odit & sequatur exitus, & c. Consultationij 28. eod. Metus gravis injuste incussus dirimit matrimonium Jure naturæ: S. Thomas in 4. dist. 29. quasi. 1. art. 3. S. Bonav. ead. dist. num. 5. Scotus ead. dist. 29. quasi. unic. §. De secundum: Covarrub. part. 3. de matrimonio cap. 3. §. 5. num. 6. Reiffenstuel lib. 1. decr. tit. 41. num. 48. & seq. & alii plures, arg. cit. cap. Cum locum 14. de sponsalibus, ubi dicitur, Cum locum non habeat consensus, ubi metus, vel coactio intercedit. Sine consensu autem matrimonium est nullum Jure naturæ, adeoque &c. Metus levis etiam sit injuste incussus, non invalidat, nec dirimit matrimonium; communis, textu claro in c. Cum dilectus 6. de his, que vi metusve causa fiunt, & leg. Metum autem ff. eod. & arg. cap. Veniens 15. & cap. Consultationij 28. de sponsalibus ubi requiritur, quod metus sit talis, qui cadere possit in virum constantem, scilicet gravis.

Metus gravis ab intrinseco proveniens non invalidat, nec dirimit matrimonium; arg. cap. Sicut nobis 17. de regularibus, ubi votum religionis emissum à constituto in lethali infirmitate censetur validum, & servari jubetur; ergo à pari idem dicendum est de matrimonio contracto ex metu gravi ab intrinseco proveniente, v. gr. de eo, qui metu imminenti mortis, & timore inferni contrahit matrimonium cum concubina; ita Covarrub. de matrimonio part. 2. cap. 3. §. 4. num. 26. & seq. Reiffenstuel l. c. num. 26. Sanchez l. 4. de matrimonio disp. put. 1. n. 4. & seq. & alii passim. Nec etiam invalidat, & dirimit matrimonium metus gravis ab extrinseco proveniens, si sit juste incussus; i. communis arg. cap. Ex literis 10. de spons. ubi matrimonium ante promissum, si contrahatur metum excommunicationis per Judicem infirmitatem, validum censetur, & cap. Pervenit 2. de adulter. & stupr. ubi, ille, qui ob stuprum ad ducendam stupratam obligatus, renuit nubere, jubetur excommunicari, & sic indirecte cogi ad nubendum, & leg. continet 3. §. 1. ff. Quod metus causa.

Aditio ex supplemento Auditoris ad verb. Adulterium. Adulterium præcedens, seclusa machinatione, & fide futuri matrimonii, non est impedimentum dirimens matrimonium; Benedic. XIV. tom. 1. const. 13. incip. Reddite §. 12.

De ratione probandi impedimenta matrimonii non inutile est hic disserere. Distinctio autem in subiecta materia recepta est, quod aut sumus in matrimonio nondum contracto impediendo, & levis sufficit probatio. Aut vero in matrimonio versamur jam contracto dirimendo, & probatio requiritur plenissima. Idque adeo verum est, ut hoc in casu, nec utriusque sponsi confessio de impedimento attendi queat, ut communiter firmant Schmalzgrueb. Jur. eccles. univ. lib. 4. part. 3. tit. 13. num. 7. Sanchez & leg. Picler. Jur. canon. l. 3. tit. 13. num. 7. Sanchez de matrim. l. 2. disp. 45. num. 3. Molin. de rit. nuptiar. l. 1. comparat. 15. num. 30. & plur. seq. Panimoll. decr. 19. adnotat. 4. n. 52. §. 5. & seq.

Questionis vero est, an idipsum obtineat si confessio hæc emissã sit à sponsis ante matrimonium contractum? Affirmare videtur Rota cor. Penia decr. 211. ea de ratione, quod emissã sit eo tempore, quo suspicio collusionis cadere haud potest.

Ad confessio conjugum de impedimento sive emissã sit matrimonium constante, sive ante contractum matrimonium, rejicienda indistincte est, idque quasi sacri canones dum disponunt, ne stetur confessioni conjugum de impedimento, sese fundant, non in periculo solum collusionis, sed & præjudicio inde obveniente. Proli, alitque bonis matrimonii, ut notant Barbosa in collection. ad. in decr. lib. 4. tit. 13. cap. Super eo, num. 3. Wagnereck in commentar. exegit. sacri. canon. lib. 4. tit. 13. dist. cap. Super eo not. 1. Pirching in Jus canon. lib. 4. tit. 13. §. 3. n. 18. Schmalzgrueb. Jur. eccles. univ. lib. 4. part. 3. tit. 13. n. 33. Picler. Jur. can.

FERRAR. BIBLIOTHEC. TOM. V.

lib. 4. tit. 13. num. 17. Molin. de rit. nupt. lib. 1. comparat. 15. num. 41. in fin. Hoc autem præjudicium, quum æque urgeat, si confessio conjugum de impedimento emissã sit vel matrimonio constante, vel ante matrimonium contractum, utroque propterea casu rejici debet, ut sentit Rota in Compostellana 10. Jan. 1757. §. 12. cor. R. P. D. Caniliac, & 27. Novembr. 1758. §. 13. & 15. coram reverendis. P. D. Bussio Decano.

Quod vero attinet ad decisionem 211. Penia, satis est animadvertere, quod Rota in decisione illa citra ullam causam necessitatem dixit standum esse confessioni conjugum de impedimento emissã ante contractum matrimonium, eo quia revera non concurrebat confessio hæc, ut patet ex num. 16. Vulgatissimum autem est, nequam esse attendenda quæ supremum hoc tribunal præter necessitatem causæ tangit.

De singulis impedimentis, de quibus hoc in articulo agit Auctor, aliqua supplere utile esset, sed prolixum nimis. Potius in sequenti articulo aliqua addemus de impedimentis illis, de quibus frequentius in foro disputari contingit.

(Dux leges supra centum, ni fallor, extra in singulis proximis inseruntur, tit. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. & 16. p. 4. animadvertuntur; variis in locis hujus operis, scilicet lib. B. pag. 283. post num. 105. lib. D. pag. 8. post n. 57. pag. 79. verò. Præterea; & pag. 93. col. 1. permittit sunt præventia: nil hic, omnibus recte perpensis, percontans sequens est, nec per momentum immorandum, nec hæc eis aliquid necessarium referre arbitrariorum: quippe si qua in eisdem continentur, bene perlegentur, inter ab Auctore expressum, & in prædictis decisionibus dispositum discrimen ullum pene haud erit invenientium.)

ARTICULUS II.

Quoad ea, quæ concernunt alia septem impedimenta dirimentia.

SUMMARIUM.

- 1 Ordo quando sit impedimentum dirimens: quas penas incurrit matrimonium cum eo contrahens, ad num. 7.
2 Ligamen quid sit: quo jure, sicut præcedens, impedimentum dirimens æstimetur: atque quando licet conjugibus ad alium matrimonium transire; ad num. 19.
3 Publica honestatis impedimentum quo jure introducitur: ad quos gradus olim & hodie extendebatur: unde oritur; ad num. 28.
4 De coeundi impotentia & ejus speciebus: quid si ante aut post matrimonii celebrationem evenierit: quinam alii contrahere prohibentur: atque in eorum casibus quomodo procedendum; ad num. 58.
5 Clandestinitatis definitio notatur: ad valorem matrimonii que requirantur: parochus qualis interveniendus: de capellanis exercitium agitur: omnium præsentia, & testium; observantia prædictorum, ubi non est Concilium Sacrosanctum Tridentinum promulgatum; ad num. 113.
6 Raptus quid sit: ex quo tempore impedimentum dirimens intelligatur: necessaria ad ejus constitutionem præscribuntur, & in raptore, fautores, & auxiliantes poene designantur; ad num. 132.
7 Supplementa Auditoris, ad num. 130.
8 Aditio. ex aliena manu inseruntur; ad num. 161.
9 Auditoris responso ad præcedentem aditio.

Quoad quantum ad præsens est impedimentum, quo clerici in sacris ordinibus constituti, fuerunt ab ecclesiâ inhabiles redditi ad valide contrahendum matrimonium, ut patet ex cap. De Diacono 1. cap. Ex literam 2. Quæ clerici, vel doctores, cap. Si qui clericorum 1. de clericis conjugatis, & concordant cap. Presbyter. 8. dist. 7. cap. Presbyter 16. dist. 28. cum similibus, & expressè definit Concilium Trident. sess. 24. de matrim. canon. q. 1. ibi: "Si quis dixerit, clericos in sacris ordinibus consti-